



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput VIII. Neque futura ordinis supernaturalis statûs naturæ Innocentis à
Deo prævideri in decreto absoluto, ac prædeterminante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

CAPUT VIII.

Neque futura ordinis supernaturalis statûs naturæ Innocentis à Deo prævideri in decreto absoluto, ac prædeterminante.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Præliminaria ad Resolutiones futuras.
4. Usque ad 16. Probatur efficaciter, quod innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigeret, & consequenter minimè novit Deus perseverantiâ Angelorum in efficaci suâ voluntatis decreto. affertur etiam, & reprobantur Adver-

tariorum responsiones ad fundamenta huius sententiæ.

16. 17. 18. 19. Non recedit à Superiori sententiâ Doctor Angelicus.
20. Et seqq. consentit hætenus didis Aegidius Romanus.

1. Præliminæ
1.

TERTIUM dissidium inter nos, & D. Thomæ discipulos est de operibus supernaturalibus ad statum naturæ integræ pertinentibus; in quibus illi gratiam per se efficacem propugnant, nos unius versatilis asserimus necessitatem; & consequenter arbitramur bonorum Angelorum perseverantiâ in nullo prædeterminante decreto fuisse prævisam. Facit autem inter Augustinenses ac Thomistas discrepantiâ, verborum Augustini, quem utrique pari studio prosequimur, multiplex sensus, atque ob disputantium ambages perplexus. Inter eos qui SS. Angelorum gratiam contendunt fuisse victricem, ceteros eruditione ac doctrinâ antecellunt Antoninus Reginaldus, Estius, Sylvius, Thomas Angelus, Contensonius, Gotti, & qui de hoc argumento edidit librum, qui inscribitur, *Divus Augustinus Divo Thomæ conciliatus*, Hyacinthus Serry in Patavina Academia Professor Primarius. Scripsit & de hac quæstione fusiori calâmò Stephanus Vicentinus Congregationis Oratorii Presbyter eruditus. Nulla alia gratiâ, quam indifferenti creaturam innocentem indiguisse ex nostris, qui posteriori floruerunt ætate, docent Christianus Lupus, Cardinalis Norisius, Fulgentius Bellelli, Basilius Poncius, Lafosse, Vanroy, Piette, Joannes Schuveitzerus, alique numero & eruditione præcipui. Efficacem gratiam Angelis quoque stantibus collatam scripserunt Casalius, Coquæus, Gavaudi, & Girken, quos nobis Serrius opponit, & alii etiam numero longe plures; sed neque hi efficacem gratiam, saltem omnes, volunt esse prædeterminantem, & toto celo à Thomistis recedunt. Argentinam hæud rectè à viro clarissimo citari, poterit quisque proprio otio videre: nam in II. dist. IV. & V. art. I. solum ait, non fuisse Angelis necessariam ad merendum gratiam habi-

tualet, sed sufficientem fuisse motum factum in mente specialiter ab ipso Deo: ubi neque motionem prædeterminantem commemorat, neque voluntatis victricem inclinationem, in qua potissimum sita est gratia efficax. De Aegidio Romano, & de D. Thoma quædam dicturus sum paullo infra.

Vindicat sibi hæc quæstio locum parte horum librorum secunda; sed cum videatur necessaria ad percipiendum Theologiæ nostræ systema, in illam inquirendum est modo; & alibi si quæ residua erunt, opportuniùs colligenda. Exponam autem sententiâ, quam puto Augustini, adloquens adolescentes, non pugnans adversus viros doctissimos:

*Quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere
artibus hædi
Consimile in cursu possint, ac fortis
equi vis?*

Itaque hæc nostra sententiâ est. Adam & Angeli non opus habebant adiutorio gratiæ efficaci: beati spiritus, qui steterunt, sese gratia versatili ad perseverandum libero arbitrio inflexerunt: supernaturalis gratiæ auxilium, & specialis Dei motio in utroque statu requiritur; sed ut sit per se efficax, & prædeterminans, exigit infirmitatis conditio, & vulnus naturæ; verbo dicam: perseverantiâ creaturæ innocentis conditioni annexa fuit non inferenti, sed indifferenti, sub qua Deus illam in æternitate præviderat.

Quoniam vero Adversarii nos sup-
presso nomine Janßenianos appellant, præliminæ
quod de hoc argumento scripserit etiam
Iprensis Episcopus, Antonius, Arnaldus, Vincentius Lenis, & quidam alii Janßenismi nota traducti, atque novitatis vocabulo opinionem nostram designant, quo in vulgus Theologorum
si arsa

sparsa erroris excipiat execratione; pramittendum duxi, neque novam esse, neque characterem vel minimum dogmatis Janſeniani, quod recto iudicio, providoque consilio Romana Ecclesia damnavit. Fuit ergo opinio veterum Theologorum, quatuor esse gratiarum genera, habituales quæ perficit naturam, conservationem ipsius habitus, cooperationem Dei ac pramotionem universalem in operibus naturalibus, & specialem in supernaturalibus, & demum motionem quandam per axilium excitans, quod faciat hominem velle, & prioribus donis bene uti: nos post Adæ lapsum vitiatos omnibus hisce donis muniri: at creaturam innocentem, cum esset condita cum bona voluntate & amore casto, neque ullis concupiscentiæ fluctibus jactaretur, dummodo haberet illam pramotionem indifferentem, potuisse perseverare absque gratia voluntatem efficaciter excitante. Hæc docuerunt Gregorius Ariminensis in 2. dist. 29. quæst. 1. concl. 2. & 3. Joan. Major eodem loco, Driedo libro de Conc. libertatis & Prædest. cap. 3. Alphonsus Curiel in 1. 2. quæst. 19. art. 10. dub. 2. §. 4. Quid singulos percenseo? Etiam Bellarminus lib. 1. de Gratia 1. Hominis cap. 4. Hæc est nostra de Gratia creaturæ innocentis tradita ab antiquis opinio. Addidit Janſenius gratiam etiam delectationis & voluntatis, non efficaciter excitantem, sed arbitrii pedisequam. Stephanus Dechamps lib. 3. de Hæresi Janſeniana cap. xv. & seq. illud tantum in Janſenio reprehendit, quod præter gratiam habituales, etiam motionem voluntatis in statu innocentiae existimet necessariam; cum gratia Adami hanc motionem minime, ut ille putat, amplecteretur. Hæc opinio Janſenii nullatenus ad nostram cum Thomistis pertinet controversiam. Sive enim dicamus potuisse Adam perseverare cum sola gratia habituali, sive necessariam ei fuisse gratiam actuales indifferentem moventem; semper stat in illo felicitatis statu non fuisse collatam, nec necessariam ad perseverandum gratiam victricem. Profecto in quo fuerit constituta gratia creaturæ innocentis dicam alibi: nunc tantum contendo non fuisse etiam permanentium Angelorum auxilium natura sua prædeterminans; neque facem nobis prætulisse Janſenium; sed vetustos, maximosque Theologos, quorum invalescens recentiorum cavillatio sensum induxerat oblivionem. At, auspice Deo, tanta Theologorum approbatione Augustiniana sententia resti-

tuta est, ut in publicum absque larva possit incedere. Tuentur illam Patres Benedictini, Thomassinus, Witasse, Franciscus Macedo, Habert, L'Hermier, Le Cocq, Juénin, & ne singulos recenseam, satis est Hennunsi tract. de Principiis act. human. disp. 2. quæst. v. art. 3. & Bellarminum loco citato asserere illam esse communem. Hæc ad retundendas oppugnantium calumnias opus erat præfari; quas tamen incautis arbitrandum est excidisse: vel saltem eorum censura illos tantum perstringit, qui ex præfato statuum discrimine inferunt fallaci consecutione non dari modum nisi adiutorium quo, & gratiam efficacem, aut alia in absurda prorumpunt, quæ ex fonte puro Janſeniani summa cum cæcitate nequitia arbitrantur effluere.

PROPOSITIO I. Innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigebat, & consequenter minime novit Deus perseverantiam Angelorum inefficaci suæ voluntatis decreto.

Traditur hæc propositio à S. P. Augustino lib. de Corrupt. & gratia cap. xi. & xii. Ex quibus hæc eruantur argumenta. Sit primum. Cum Adrumetini Monasterii quidam Monachi, lecta in Augustini libro de gratia & lib. arbitrio sententia de gratia efficaci & de gratuita electione, (quem librum illuc S. P. direxerat, ut erumpentia inde Semipelagianismi germina evelleret) contra Augustinianam doctrinam insurgent, asserentes neminem esse corripiendum si Divinæ non obtemperet legi, quum excusari possit quod destitutus sit illa gratia, sine qua opus non perficitur salutare, & quæ non omnibus præparatur; provide Augustinus gliscenti occurrens errori librum de Corrupt. & gratia conscripsit: quem S. Prosper plenum vocat auctoritatis Divinæ, & Cardinalis Norisius, PP. S. Mauri, Boudartius, & alii appellant cæterorum S. Augustini librorum contra inimicos gratiæ Dei auream clavem. Hoc in Opere S. Pater objectionem Adrumetinorum solvit, quoniam ita constituit Deus rationalem creaturam, ut simul naturam concederet, & elargiretur gratiam, qua opitulante posset in accepta iustitia perseverare si vellet; atque ut vellet in ejus reliquit arbitrio. Ait tali gratia in prima conditione donatos Angelos, & aliquos per liberum arbitrium stetit, aliquos vero per liberum arbitrium cecidisse; ac potuisse perseverare etiam Adam eodem adiutorio sussultum, & ideo recte esse corripiendos

ripiendos qui gratia ad perseverandum necessaria destituuntur, quoniam illam in protoparente receperunt; is vero acceptis donis libertate sua male usus redidit secum posteros omnes infirmos. Huic per peccatum contracta infirmitati subventum esse uberiori gratia, quæ non solum dat posse, sed etiam velle: hanc tamen Divina misericordia, uni non alteri, inscrutabili Dei iudicio, parari. Quapropter qui non habet donum perseverantiæ eo caret in poenam peccati, & iuste corripitur: qui habet, habet ex dono misericordiæ, & illi Divino beneplacito preparatur. Hæc est summa Augustinianæ doctrinæ. Atqui si necessaria fuisset creaturæ innocenti gratia prædeterminans, inanem Augustinus iussisset operam, neque Monachorum satisfecisset argutationibus. Non ergo creaturæ innocenti fuit necessaria efficax istud, ac prædeterminans gratiæ auxilium. Probatur minor; nam si vera est Thomistarum sententia, non ob aliam causam Deus Adamo gratiam victricem non est largitus, nisi quia est donorum suorum supremus Dominus, neque aliud respondendum est juxta horum Theologorum principia Adrumetinorum objectioni. Quam profecto obviam, vulgarissimamque responsionem nunquam S. Pater adhibuit.

5. **Confirmatur.** Quoniam vero futilem hanc nostram, spuriamque consecutionem putant Thomistæ, trahunt enim perdifficiles quaestiones in diversa iudicia etiam assiduos veri amatores, lubeat illam enucleatius exponere. Principio S. P. cap. x. ait: *Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus Deum Dominumque rerum omnium . . . sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid eorum posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.* Intelligence arbitrium suffultum gratia aliqua, & auxilio sine quo; quippe si istud primo homini vel Angelis, cum primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent. Atqui si Angeli, & primus homo indignissent ad perseverandum gratia victrice, nequaquam subsisteret allatum discrimen, nequaquam experti essemus quid posset sanum arbitrium cum sufficienti adiutorio, & deinde quanto sit robustius beneficium gratiæ sanantis. Ergo creatura innocens non opus habebat victricis gratiæ adiutorio.

6. **Oppositio Thomistarum.** Resp. Thomistæ hæc dici ab Augustino absque efficacis gratiæ exclusionem: tam sanum arbitrium, quam infirmum & stare & cadere sua libertate, bene agere

& perseverare à Deo præmotum; nullum inde peti utriusque status discrimen: ostensum fuisse in Adæ lapsu, quid posset arbitrium sibi relictum, in perseverantia Angelorum quid valeat arbitrium efficaci auxilio suffultum.

Verum, etsi rectissime dicunt in utroque statu libertate sua hominem & peccare & mereri, non tamen si utrobique necessaria sit gratia efficax, quid valeant arbitrii vires poterimus experiri. Si enim duo E. G. æquali luce indigeant ad videndum corpus coloratum, aut pari auxilio ad ferendum pondus; quomodo distingui potest, quisnam sit acie oculi præpollentior, aut vi prævaleat membrorum? Nullus equidem id poterit judicare. At si unus eodem lumine objectum eminens cernat, quod alter nequit nisi cominus intueri; tunc recte apparet unum esse altero oculis vividioribus. Ita si tam creatura innocens, quam fluctibus concupiscentiæ iactata ad standum debeat prædeterminante gratia fulciri; qua ratione dignosci potest quid valeat una præ alia? Sed patens est, apertumque discrimen, si dicatur, illa stare potest cum auxilio versatili; hæc non stat, nisi cum adiutorio victrici & per se efficaci.

Amplius dilucidabitur mens Augustini ex sequentibus. Proximo cap. xi. Gratiam Adamo collatam sic describit: *Tale erat adiutorium, quod deferret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Quo in loco sermonem institui de gratia prædeterminante, quæ dat ipsum velle, nemo unus dixerit. Paucis interjectis ita Augustinus proloquitur: *Dederat & adiutorium sine quo non posset in ea permanere, si vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio.* Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi: &c. Ergo per Augustinum Adam non habuit nisi adiutorium sine quo: Atqui cum tali adiutorio sine quo poterat permanere: Igitur ad permanendum non opus habebat alio validiori adiutorio.

Occurrunt Thomistæ asserentes utique Adamo collatam duntaxat gratiam inefficacem: hujus fulcimento potuisse quidem perseverare; neminem id vertere in dubium. Cæterum agi nunc

7. **Responsio.**

8. **Dilucidatur S. Augustinus.**

9. **Oppositio Thomistarum.**

CON-

controversiam de gratia necessaria Adamo, non ut perseverare posset, sed ut perseveraret reipsa.

10.
Eversio.

Ad nutum excogitata est hæc Thomistarum responsio; primo quia Augustinus ita statuit discrimen inter hominem innocentem ac lapsum, ut asserat illum, in eo bono, quo factus fuerat rectus, accepisse posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deservire. Sanctis vero, ad quod pertinet gratia liberationis, dari etiam ipsam perseverantiam, ipsum adjutorium quo, ipsum velle, propterea quod in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos & non habent tranquillam felicitatem, in qua constituerat primum hominem, qui fecerat illum rectum. Ergo adjutorium actualis perseverantiae, quod non solum dat posse, sed etiam velle, non erat homini recto ullatenus necessarium. Deinde affirmat S. Pater potuisse Adam per liberum arbitrium perseverare, quemadmodum per idem liberum arbitrium angeli boni steterunt: non per liberum arbitrium sola nativa vi operantem, sed adjutorio sine quo in sui conditione donatum: At stare per liberum arbitrium in Augustiniano sensu, est stare per arbitrium sanum, vegetum, nulla cupiditatum pugna circumactum; quale arbitrium peccati primi hominis granditate perdidimus, non quod extincta sit per Adæ culpam libertas, sed quoniam adjacent nobis ejus causa carnalis appetitus illecebræ, atque sanitate primæva privati sumus. Quamobrem perseverantia non dicitur in hoc statu ab Augustino opus arbitrii, sed gratiæ: idque hoc eodem loco, ubi ait: *Quæ quidem merita potuit habere, sed perdidit, hoc est per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis, nisi gratia liberantis.* Quid ergo? Per Augustinum potuit Adam perseverare cum solo adjutorio versatili: atque cum solo adjutorio versatili Angeli Sancti per liberum steterunt arbitrium.

11.
Confirmatur
ex S. Augustino.

Pergit rotundis verbis Magnus Augustinus systema Gratiæ sic exponere: *Ille, inquit cap. xi. de primo homine, ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sanctis vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos a malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos a reatu hereditario & proprio illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio,*

quod implorant isti cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Ille vero nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco sua se cum pace fruebatur. Proinde etsi non interim latiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti. Viden S. Patrem luculentissime asserere primum hominem nulla adversum se rixa turbatum, nullo carnis adversus spiritum certamine laborantem, nullatenus indiguisset ea gratia potentiore, quam dari sibi poscunt homines, ad quos pertinet beneficium liberationis, pugnandi vincendique virtutem? Id profecto nemo est qui non videat. Atqui gratia liberationis per Augustinum non est adjutorium in quo Adam permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet, sed est gratia potentior, quæ etiam fit ut velit, nimirum adjutorium quo, & gratia efficax: Igitur per Augustinum Adam gratia efficaci ac prædeterminante minime ad perseverandum egebat.

Ait Reginaldus utique potentior gratiam post Adæ lapsum requiri; nam ^{12.} *Opponit Reginaldus.* homini innocentem necessaria erat, ut sese applicaret ad actum, nunc vero est necessaria etiam ad vincendam concupiscentiam: fuisse in statu innocentiae victimam unico titulo dependentiæ à prima causa; at jam talem esse duplici capite, dependentiæ, & infirmitatis. Exemplum addit Hyacinthus Serry scalæ, quæ ut in locum ascendant prominentem egent tam ægrotus, quam bene valens, sed de isto dicimus sat virium habere seipso, quod illi scalæ adminiculum duntaxat adferat, ut arduo operi valeat vires suas applicare.

Non reponam hæc subterfugia Thomistarum, ut in nos eructat ipse P. Serry vir quidem servidioris ingenii, *gerras esse, gerras, easque vanissimas.* Absit. Sunt tamē inventa ab Augustini sensu remotissima. Medicinalem Salvatoris gratiam vulnera sanare concupiscentiæ, & etiam facere ut humo velit & actu operetur, quis Augustini discipulus inficiari audebit? Non hæc à viris doctissimis nos divellunt. Dicimus Adam in statu innocentiae non indiguisset neque auxilio sanante cum non esset infirmus, neque prædeterminante cum velle & non velle in ejus esset arbitrio. Jam constat Adam adhuc in bonis Creatoris sui permanentem, non opus habuisse potentiore gratia, quæ confertur hominibus periclitantibus in corpore mortis hujus.

At

13.
Retunditur.

At Augustinus huic tantum gratiæ potentiori, quæ est gratia per Christum, gratia medicinalis, gratia concupiscentiæ victrix, tribuit quod operetur in nobis *velle*: Ergo Adam, si ad perseverandum non opus habebat hoc potentiori auxilio, neque indigebat gratia, quæ dat, *velle*, seu prædeterminante. Minor est ipsius Augustini dicentis: *Hæc est prima Gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quæ fit, ut habeat homo iustitiam si velit. Secunda ergo plus potest, quæ etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluptatem contrariam concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Ex quibus fit manifestum, nisi tenebras luci velimus offundere, gratiam, quæ fit ut velimus, esse gratiam in secundo Adam, nimirum gratiam medicinalem tantummodo.

14.
Roboratur.

Præterea siue indigeat homo gratia unico titulo, siue duplici, dummodo sit efficax trahatque secum opus certa consecutione, id non reddit gratiam potentiorē, sed solum indigentiam in subiecto maiorem, minoremve demonstrat. Quid enim arguit discriminis ex parte baptismatis si in puero maculam abstergat originale, in adulto diluat & originale & actuale? In Eucharistia, si in uno producat tantum augmentum gratiæ in altero deleat quoque peccatorum reliquias? Quenam discrepantia in corporis alimento, si pubescentes augeat & nutriat, grandævos aliat nutriatque, non augeat? Quid accidit baculo, si via incedens lubrica eo eget ne labatur pede, & alius aut ætate gravis, aut valetudine, illo utitur & ne labatur, & ut regatur? Ergo non recte dixeris auxilium secundi Adam potentius auxilio Adam primi, si fuisset utrumque efficax, & suapte natura ipsam donans perseverantiam; etiam si in statu innocentie fuerit ex uno capite necessarium, sit vero post Adæ lapsum multiplici. Id enim non gratiam potentiorē ostendit, sed maiorem hominum lapsorum necessitatem. Imo in Thomistarum sententia illa gratia prædeterminans in statu innocentie fuisset vere ac proprie medicinalis, quoniam licet non mederetur vulneribus, esset tamen medicamentum, si vulnera adessent: nam medicinalis est herba etiam si impositis plagis non applicetur, & virescat adhuc in horto, aut servetur vasculis pharmacopoliæ. Igitur à vi effeçtrice, non à sanitate actualiter præstita appellanda est gratia efficax, & po-

tentior. Exemplum Hyacinthi Serry videtur explicanda sententia nostra aptissimum. Eget sanus, ut murum conscendat, adminiculo scalæ; eget agrotus. Gratia homini innocenti, hominique infirmo necessaria est. Vir sanus sua manu scalam apertat muro: Gratiam homo innocens arbitrio suo applicat & determinat. Agrotus habet scalam, sed nequit ob virium imbecillitatem illam è terra elevare, neque muro admove. Infirmitas gratiam habet sufficientem, sed alia indiget validiori, quæ determinetur ad opus. Quare homo innocens non indigebat prædeterminante auxilio, sed poterat illud per liberum arbitrium determinare; quemadmodum vir benevalens propriis viribus admoveat muro scalam.

In confirmationem Augustinianæ doctrinæ illud etiam accedit, quod sententia de gratia efficaci & de prædestinatione gratuita taliter connectuntur invicem, ut nequeat una absque altera substineri. Atqui per Augustinum in statu solius naturæ lapsæ prædestinatio gratuita est: Ergo in solo statu naturæ lapsæ admittenda est gratia efficax. Minor probatur ex eodem lib. cap. ix. ubi ait: *Nunc autem per peccatum perditum bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Et lib. 14. de Civitate Dei cap. 28. *Non eos jam meritis discernens, quandoquidem universa massa tanquam in vitata radice damnata est, sed gratia discernens.* Fateamur itaque post casum hominis pertinere ad gratiam, ut quisque accedat ad Deum: subventum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter & in superabiliter ageretur: homini innocenti ac fortissimo permisisse Deum facere quod vellet: datam huic perseverantiæ potestatem, & bonum posse non deferere: non opus habuisse adiutorio, quod plus potest, & facit ut homo velit: istud pertinere ad gratiam Christi medicinalem;

Nam si nunc etiam illasus vigor ille maneret,

In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas

Conciliare Deo, poenæque absolvere posset.

Inquit Carm. de Ingratis cap. 42. Sanctus Prosper.

PROPOSITIO II. Non recedit à superiori sententia Doctor Angelicus.

S. Thomam Aquinatem, quem ipse probatur.

Jan-

15.
Confirmatur
Doctrina
Augustini.

16.

Propositio 2.

S. Thomam
non recede-
re à superio-
ri sententia.

Janfenius appellat Augustinum contra-
tum potius nobis, quam Thomistis suf-
fragari, quamquam hi nullam vel mi-
nimam de Præceptoris sui mente conce-
perint suspensionem, ut certum cre-
do, aut saltem arbitror probabilius.
Nam liquet primo, D. Thomam nulli-
bi statuisse prædeterminationem neces-
sariam ex capite dependentiæ, quo uni-
co titulo gratia efficax in statu naturæ
innocentis asseritur necessaria. Dein-
de utriusque status diversitatem cum
Augustino non uno tradit in loco, ac
præsertim 1. 2. quæst. 109. art. 9. in
corpore, art. 7. ad 3. art. 8. & 9. in
corp. quæst. 3. de malo art. 1. ad 9. ubi
proculdubio ex contracta per peccatum
originale infirmitate specialis Divinæ
motionis necessitatem inculcat; ut falsi
sint, & à veritate recedant, qui asse-
runt beatum Thomam nullum inter ut-
rumque statum agnovisse discrimen.
Quæ cum fateantur Thomistæ, non est
cur Angelici Doctoris verba exscribamus.
At isti eo sensu Magistrum inter-
pretantur, quod homini stanti neces-
saria fuerit gratia efficax titulo depen-
dentiæ, nunc vero necessaria sit etiam
causa infirmitatis: quod ego donec vi-
deam, audiamque, & librata lance ex-
pendam clarissima testimonia, non pos-
sum, quantum ad rationem dependentiæ
attinet, profiteri. Nam hanc sal-
vari per universalem præmotionem &
concursum immediatum, verissima sen-
tentia est, ut demonstratum est supra,
etiam non admissa prædeterminante
motione.

17.
Probatur 2.

Sed accedit quoque speciale argu-
mentum. Disputat S. Thomas prima
2. quæst. cix. art. x. Utrum homo in
gratia constitutus indigeat auxilio gra-
tiæ ad perseverandum; & tertio loco
proponit hoc argumentum: *Præterea
sicut Apostolus dicit ad Romanos v.,
plus restitutum est homini per donum
Christi, quam amisit per peccatum
Adæ. Sed Adam accepit unde posset
perseverare: Ergo multo magis nobis re-
stituatur per gratiam Christi, ut perse-
verare possimus; & ita homo non indi-
get gratia ad perseverandum.* Quæ-
stionem pertractat, ut constat ex cor-
pore, de homine constituto in gratia
habituali, & respondet præter hanc
gratiam habitualement hominem indigere
Divino auxilio ipsum dirigente contra
tentationum impulsus. Respondetne
argumento etiam Adamo necessarium
fuisse ad perseverandum auxilium gra-
tiæ prædeterminantis, non quidem ad
superandos tentationum impulsus, sed
R. P. Berti Theol. Tom. I.

ad salvandam ejus dependentiam à pri-
ma causa? Minime gentium. Respon-
det latissimam esse disparitatem, Ada-
mum in bonis positum Creatoris, virtu-
tis ad perseverandum inopem non fuisse;
conferri nobis actualem perseveran-
tiam meritis Redemptoris: & tamen
primum hominem hoc munere destitu-
tum facilius potuisse perseverare, quam
nunc possumus. *Ad tertium, inquit, di-
cendum, quod sicut Augustinus dicit, bo-
mo in primo statu accepit donum, per
quod perseverare posset, non autem acce-
pit ut perseveraret: nunc autem per gra-
tiam Christi multi accipiunt, & donum
gratiæ, quo perseverare possunt, & ul-
terius eis datur quod perseverent.* Et
sic donum Christi est majus quam deli-
ctum Adæ. Et tamen facilius homo per
gratiæ dona perseverare poterat in sta-
tu innocentie, in quo nulla erat rebellio
carnis ad spiritum, quam nunc possumus,
quando reparatio gratiæ Christi, etsi sit
inchoata quantum ad mentem, nondum
tamen est consummata quantum ad car-
nem, quod erit in patria. Similia, &
longe his clariora habet S. Thomas 2.
2. quæst. cxxxvii. art. 4. *Ad secun-
dum (inquit) dicendum, quod sicut Au-
gustinus dicit in lib. de Corrept. &
Grat. primo homini datum est, non ut
perseveraret, sed ut perseverare posset
per liberum arbitrium: quia nulla cor-
ruptio tunc erat in humana natura, quæ
perseverandi difficultatem præberet. Sed
nunc prædestinatis per gratiam Christi
non solum datur ut perseverare possint,
sed ut perseverent.* Unde primus homo
nullo terrente contra Dei terrentis im-
perium libero usus arbitrio, non stetit in
tanta felicitate cum tanta non peccandi
facilitate. Isti autem sæviente mundo
ne starent, steterunt in fide. Quæ ver-
ba adeo clara sunt, ut nulla indigeant
explicatione.

Nobilissimi Thomistæ ajunt de mente
Angelici Doctoris non esse ambigen-
dum, ipsum requirere pro statu naturæ
integræ auxilium gratiæ efficax 1. 1.
part. quæst. 109. art. 2. & art. 3. & 9.
seqq. esse ejus verba luce clariora mè-
ridiei. Vide Card. Gotti tom. 3. quæst.
vi. de scientia condit. dub. viii. §. 2.

Qui præmotionem universalem ad-
struunt, qualem nos explicavimus, in-
desinentem scilicet illuminationem men-
tis, & inclinationem voluntatis ad bo-
num generatim sumptum, quam Deus
imprimit voluntati, servatque per ju-
gem conservationem; hi non habent
Sanctum Thomam sibi adversantem.
Priori loco citato: *In utroque statu, in-*
quit,

18.
Confirmatur
ex Thomi-
stis.

19.
Roboratur
ulterius.

quit, *indiget homo auxilio Divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum.* Audio Auxilium gratiæ moventis, non audio prædeterminantis. Secundo loco habet Angelicus: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc cum moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.* Moventis dixit, non efficaciter præmoventis, qualis est gratia sanans, qua non solum datur hominibus ut perseverare possint, sed ut perseverent. Postremo loco: *Nulla, inquit, res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis Divina.* Ex qua generali ratione probat necessitatem gratiæ etiam in primo homine, additque statim pro natura infirma specialem rationem, id est servitutem legis peccati. Bene habet. Inveni rursus nomen *motionis* universalis, & gratiæ *sanantis*; & nihil ultra. Hi sunt firmissimi Adversariorum nostrorum recessus, & summorum virorum invictissima propugnacula.

20. PROPOSITIO III. Consentit hæcenus

Propositio 3. dictis Ægidius Romanus.

Probatur etiam Ægidium romanum convincere.

Nobis quidem solemne non est jurare in verba alicujus Magistri, præsertim si latum unguem discedat ab Augustino; nam ubi cautum est Ægidio nomen dare ad servandam in Scholis uniformitatem doctrinæ Const. nostrarum part. v. cap. 2., ibidem est severiori lege sancitum, ne S. Patris, in his præcipue controversiis, quæ ad gratiam spectant, à semitis deflectamus; datumque humaniter de aliorum placitis pro libito disputare. Sed quoniam Thomistæ, & qui inter nos de Ægidii nomine nuncupantur, clamitant Eremitanos Italos, Flandrosque Ægidianæ Scholæ nuncium misisse; pugnaciter pygmæus cum Hercule contendo illos Ægidium deseruisse, nos vero hac in parte, quæ una inter nos paries est divisionis, Doctoris placita consecrari.

21. Ægidius dist. iv. in 2. sent. art. 4.

Probatio I.

ait. *Adhærere Deo amore casto in statu naturæ corruptæ non potest esse sine gratia, sed in statu naturæ institutæ potuit hoc esse per puritatem & innocentiam.* Fulgentius Bellelli vir cum dignitate, tum doctrina conspicuus lib. 2. de Mente Augustini cap. 19. arbitratur sentire Ægidium, quod Creatura innocens potuerit absque ulla gratia actuali bonum agere, atque ita pro sententia nostra ratiocinantur; *Si bene a-*

gere potuit nudum sine ulla gratia arbitrium; quanto magis id poterit cum supernaturali adiutorio, etsi versatili? Aliter ego interpretor verba Ægidii, atque idem infero manifestius. Placuit illi Angelos & Adam conditos cum justitia originali, quæ tamen non esset gratia gratum faciens, sed solum subiectio inferiorum partium superioribus, quæ, ut observat Estius in 2. dist. 25., & idem Bellelli capite laudati Operis primo, fuit plurium Antiquiorum opinio. Quapropter quando Ægidius ait Angelos & Adam conditos absque gratia habituali, ut animadvertit idem Doctor dist. xxix. dub. v. laterali: *Cum loquimur absolute de gratia, intelligimus de gratia gratum faciente.* Porro juxta Ægidium Deus simul cum natura contulit gratiam, & inclinationem, quam appellat amorem naturalem, quod simul cum natura fuerit primitus inspirata. Deus, inquit, *simul dedit angelis naturam & inclinationem.* Et hæc inclinatio licet esset consequens naturam, poterat tamen dici gratia, quia erat quid additum naturæ; non enim fuit parvum donum simul cum natura dare angelis hujusmodi inclinationem. Quæ inclinatio, & amor naturalis dici potest, & gratia: *naturalis*, quia simul cum natura inspiratus; *gratia*, quia fuit donum naturæ superadditum. Neque poterat Ægidius melius doctrinam suam contra futuros errores Baji communire; neque manifestius asserere creaturam innocentem non habuisse nudum absque ulla gratia arbitrium adversus interpretationem Bellelli. Illa autem inclinatio, ille amor, illa gratia naturæ superaddita fuit per Ægidium æque in singulis Angelis: *Ipse amor*, addit, *naturalis prout erat innocens & purus, quo omnes Angeli in instanti suæ creationis Deum dilexerunt, quedam gratia dici potest.* Cum vero omnes Angeli non permanserint in ea dilectione, consequens est, non fuisse delectationem victicem, prædeterminantem atque efficacem. Lege clarissimum sui interpretem Ægidium.

Jam vero sic argumentor. Juxta Ægidium in statu naturæ corruptæ non potest homo adhærere Deo sine gratia; at in statu innocentie id potuit per solum amorem naturalem, purum & innocentem: Atqui per Ægidium amor naturalis purus & innocens est illa inclinatio naturæ superaddita, sive gratia omnibus angelis collata, quæ profecto non fuit prædeterminans, nam alias angeli omnes stetitissent: Ergo juxta Ægidium

22. Probatio 2.

dium in statu innocentie poterat homo vel angelus adherere Deo atque perseverare absque ulla gratia prædeterminante, & cum sola inclinatione ac dilectione singulis ex æquo collata. Major est ejusdem Ægidii, & minor constat ex dictis.

23. Rursus Ægidius dist. xxix. art. 2. dub. 1. lat. docet Adam per solam originalem justitiam, quæ importat subjectionem partium inferiorum ad superiora, potuisse stare & evitare peccata, non tamen potuisse proficere & mereri: quod repetit seq. art. 3. affirmans quod idcirco non potuisset mereri, quoniam, ut diximus, supponit non habuisse gratiam gratum facientem: Atqui per Ægidium justitia originalis non importat gratiam prædeterminantem, sed solam creaturam puram conditam cum subordinatione carnis ad spiritum, & cum inclinatione gratiæ superaddita naturæ: Ergo per Ægidium potuit primus homo stare & evitare peccata absque ulla gratia prædeterminante. Confirmatur ex seq. art. 111. Si Adam, quemadmodum habuit originalem justitiam, habuisset etiam gratiam habitualement, nedum potuisset stare & evitare peccatum, sed etiam mereri & proficere; & ideo potuit stare sed non potuit mereri, quia habuit originalem justitiam, sed non gratiam habitualement. Igitur juxta Ægidium in statu innocentie ut possit homo perseverare & mereri nil ultra requiritur, quam justitia originalis & gratia gratum faciens. Omnes hæc argumentationes sunt verbis Ægidii compactæ.

24. Ulterius eadem distinct. dub. iv. probat naturam integram non potuisse sese præservare à peccato sine originali justitia, *VEL sine ulteriori gratia*: quod demonstrat, quia ut homo præservet se à peccato, habeatque veram justitiam & æquitatem, requiritur inferiorum subjecto, quam innocentia præstat originalis; & quæ nisi sit, necessaria est ulterior gratia ut comprimat motus, qui insurgunt in sensualitate repu-

gnantes rationi: Igitur ubi sit justitia originalis, ut natura integra possit se præservare à peccato, non est juxta Ægidium *ulterior gratia*. Et nota quod per ulteriorem gratiam non potest Ægidius intelligere gratiam habitualement, nam ut constat ex præcedenti dub. 1. sine gratia habituali poterat creatura innocens sese præservare à peccato cum sola originali justitia. Miror neminem ex nostris, qui profitentur se Ægidianos nunquam hæc observasse.

Magister Gavardi, & Hyacinthus Ser-
25. ry citant Ægidium pro ea quam tenent
Probatur 4. sententia P. 1. Hexam. cap. xv. & P. 2. cap. 111. & xxxi. Nullum alium locum commendant. Sed in his locis Ægidius solum docet Angelos primum fuisse productos, postea distinctos: primo naturam angelicam significatam fuisse per cælum, deinde per lucem. Vellem audire Ægidium asserentem Angelos bonos fuisse distinctos uberiori efficacis gratiæ adjutorio. At frustra id citatis locis requires. Quid sibi velit Ægidius ex ejus verbis satis superque intelligimus. Eo loci, & etiam dist. iv. in 2. sent. docet inter creationem angelorum & gratiam habitualement fuisse aliquam moram, ac principio collatam illis originalem justitiam, postea gratiam gratum facientem. En quomodo Angeli prius fuerunt producti, postea distincti: primo fuerunt cælum, deinde lux. Fuerunt producti cum originali justitia, distincti per gratiam habitualement: facti cælum per conditionem naturæ, lux per gratiam, lux autem à tenebris divisa per confirmationem in gratia, & per conversionem bonorum, malorumque aversionem. Imo num Angeli distincti fuerint à Deo, vel à seipsis, præterit Ægidius alto silentio: quamquam utrumque verum est, nempe distinctos à Deo per confirmationem in gratia, distinctos seipsis per conversionem ad Deum. Ergo nos neque ab Ægidio recedimus, uti nonnulli ex nostris conqueruntur.

CAPUT IX.

Argumenta opposita refutantur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Proponitur, & solvitur potissimum Thomistarum argumentum ex S. Augustino desumptum.
4. Solvitur alia obiectio ex S. Augustino facta.

5. Satisfit objectioni depromptæ ex Doctore gentium.
6. Etsi sequ. Expediuntur objectiones reliquæ.